



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

446. An non saltem Episcopus possit Clerico agrotante, & consentiente ei substituere alium, reservatâ, agro pensione pro alimentis, quoad is vixerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Questio 445. An Episcopus seu Ordinarius possit in permutatione beneficiorum inæqualium coram se facta imponere pensionem super beneficio pinguiore, solvendam commutanti accipienti beneficium tenuius, ut vel sic constituatur æqualitas, seu coæquantur fructus utriusque beneficii?

Respondeo primò: id non posse Ordinarium, ubi de hoc intervenit antecederet aliqua pactio, argumento *c. nisi essent. de prob. Garc. p. 1. c. 5. n. 344. Chok. de permut. benef. p. 3. c. 7. n. 3. & à fortiore AA. omnes, qui stant pro responsione sequente contra Navar. conf. 43. de simon. n. 4. apud Garc. loc. cit. pro cuius sententia, dum citantur Delphinus, Valent. Corrad. & c. hos expressè loquì de casu, in quo cessaret pactum partium, & in quo ex officio pensionem imponeret Episcopus, ait Garc. loc. cit. n. 347. Ratio responsionis nostræ est generalis, nempe quòd inferiores Papæ imponere nequeant pensionem, ubi intervenit aliqua de hoc conventio partium. Garc. loc. cit. n. 340. (nisi fortè quis specialem à Papa haberet facultatem recipiendi resignationes, cum impositione pensionis, ut idem Garc. n. 342.) Murga de benef. q. 3. a. 5. §. 5. n. 991. citantes Rebuffi, de pacif. poss. n. 122. alias 105. Cuch. in institut. rit. 8. §. illa quoque. Redoan. de simon. p. 2. c. 14. in fine. Cautium de pens. episc. n. 5. contra Suar. apud Murgam loc. cit. n. 995. docentem posse Episcopum ad petitionem partium & earum conventionem præcedente approbare concordiam seu transactionem super beneficio litigioso cum onere pensionis spiritualis, id est, quæ datur clerico ut clerico. Unde jam etiam neque iudex pro bono pacis pensionem imponere potest, si priùs de hoc partes inter se convenissent. Garc. loc. cit. n. 348. contra Ugolin. de simon. grat. tab. 1. c. 29. n. 2. uti nec verum est, quod tradunt Hieron. Paulus in pract. cancell. Sarnens. de annal. q. 2. Redoanus de simon. p. 2. c. 2. n. 14. & c. 3. n. 23. & alii apud Garc. loc. cit. n. 350. in beneficialibus licitè aliquid dari ratione expensarum, ut à lite discedatur, etiam intercedente auctoritate Superioris, si partes priùs de hoc inter se conveniant. Sed ad summum, si iudex, in quem fortè partes compromiserunt, aut ejus ordinationi hac in parte acquiescunt, intellige, citra suam de hoc priùs factam conventionem. Garc. loc. cit. n. 351. & 352. qui etiam n. 349. uti & Murga n. 996. dicit, de hoc intelligendam Rotam, dum deis. 519. p. 1. divers. ait, posse Ordinarium causà litis & cessionis pensionem imponere, ad summum nempe, si id faciat ex officio uti compromissarius, & non ex conventionem partium, juxta quod docetur ab Abb. in c. cum pridem. de pactu. n. 8. In summa itaque non ab ipsis partibus conventio de pensione reservanda initium habere debet, sed à Superioris auctoritate (intellige ad summum, siue dum is id potest) Murga loc. cit. n. 992. juxta decis. Rotam Calagurit. pens. 29. Maij 1595.*

2. Respondeo secundò: Sed neque id poterit Ordinarius, etiam si partes priùs super hoc non conveniant. Castrop. p. 3. d. 3. de simon. p. 16. n. 3. Murga loc. cit. dicentes esse magis receptam in praxi & communem, ac citantes pro ea Suar. l. 4. de simon. c. 34. n. 16. Valent. d. 6. g. 16. p. 3. Rodrig. in sum. to. 2. c. 65. n. 6. contra Gonz. gl. 5. §. 5. n. 27. Chok. de permut. p. 3. c. 7. n. 4. Less. de just. l. 2.

c. 34. dub. 38. n. 205. docentes, inæqualitatem fructuum compensandam esse causam justam, ut Ordinarius in permutatione possit imponere pensionem. Zerolam in pr. Ep. p. 2. v. pensio. n. 1. Cig. de pens. q. 6. Paul. Rom. Caccialup. Anchar. Felin. & plures alios citatos à Castrop. Rationem responsionis dat Castrop. loc. cit. quòd Episcopus prohibetur beneficia conferre cum diminutione, conferret autem cum diminutione beneficium (scilicet pinguius) si in hoc statuere posset pensionem. Neque in contrarium facere, ait Castrop. ex Suar. quem citat *c. ad questiones. de rer. permut. ubi Clemens III. approbat commutationem factam unius Ecclesiæ Parochialis, & illius possessionem cum alia Ecclesiâ, & illius possessionibus, compensatâ inæqualitate possessionum per pecuniam, eò quòd possessiones illæ erant merè temporales, & sub dominio temporali Ecclesiarum, adeòque poterat in harum possessionum permutatione inæqualitas compensari refusâ certâ pecuniâ quantitate; quoad permutationem verò Ecclesiæ seu beneficii, & fructus ei annexi ratione tituli (quales fructus sunt etiam decimæ, primitiæ & oblationes) nequit ex consensu Ordinarii inæqualitas horum fructuum compensari, neque de hoc loquitur citatus textus. An verò idipsum si fecerit Ordinarius, committatur simonia, alibi fortè decidetur commodius; hic breviter dico, Castropalaam citantem pro se Suar. l. 4. de simon. c. 34. à n. 10. Less. de just. l. 2. c. 25. dub. 17. n. 107. Gl. in c. cum pridem. de pactu. affirmare, esse id injustum & simoniacum; eò quòd translato titulo necessariò & jus ad fructus transferatur, adeòque Episcopus non valens fructus, seu jus illud fructuum à titulo spirituali separare (uti id potest Papa) si pro hoc iure consentiret pretium exigì (quale videtur etiam annus talis pensio) ageret simoniacè. Porro intelligi hæc à dictis AA. etiam partibus priùs desuper non convenientibus persuaderi perseverans etiam in hoc casu eadem ratio ab iis adducta, etsi idipsum illi non expriment, sed simpliciter dicant, non posse ex hoc capite æqualitatis faciendæ constituere pensionem in beneficio. Denique ex his inferre Castrop. loc. cit. n. 4. quòd multò minus possit auctoritate Ordinarii permutari beneficium cum pensione, quæ erecta non sit in titulum beneficii; eò quòd Ordinarius, dum non habet potestatem pensionem imponendi in permutationibus, non habeat etiam facultatem transferendi illam.*

Questio 446. An non saltem Episcopus possit clerico egrotante & consentiente ei substituere alium, reservatâ agro pensione pro alimentis, quoad vixerit?

Respondeo Garc. p. 1. c. 5. n. 359. videri sibi, quòd id possit, si ægritudo sit perpetua; eò quòd pensio illa non procedat ex pactioe inter substitutum & ægrotantem, sed ex dispositione juris & Superioris. citat pro hoc Abb. in c. tuanus. de clerico egrot. & Gamb. l. 5. rubric. de coadjutore. n. 16. & seipsum p. 11. c. 3. n. 260. Idem ex Garcia exscribit Murga loc. cit. n. 999. quamvis Garc. n. 355. & ex eo Murga contra Ferret. conf. 373. n. 7. dicat, talem infirmum resignare non posse in manibus inferioris Papæ cum reservatione pensionis pro suis alimentis.